

ipſi exiſtimarunt. Nam communis nos docet experientia, quam abſtruſi terræ motum ſequantur euentus, & quantæ admirationis ipſum concomitentur effectus, videlicet peſtes, fames, & quandoque ipſa terra ſulpiriis igneis ingemiſcere, & gemitu more leoniſ rugire animaduertitur, quæ omnia mirabilia vento, acidentaliter in terra incluſo, aſſignare, valde (vti rationali videbitur) abſurdum apparebit. Nos vero inter mille exempla vnicum tantum in noſtra Europa admiratione dignum producemus. Die conuerſionis D. Pauli (inquit Historia Veneta) circa horam à meridie primam, Audrea Dandolo duce 54. tunc temporis gubernante, terræ motus maximus eſt ortus, qui tali motu tantaque violentia ciuitatem concutiebat, vt ſtructuræ variæ tam publicæ quam priuæ eiufdem impetu corruerent, adeoque turres templorum, videlicet Sancti Sylueſtri, Vitalis, & Iacobi De Lorio, ſimulque tectum Sancti Angeli, & pars læua illius D. Baſilii humi ceciderunt, & proſtrata ſunt, atque hic terræmotus per ſpatium quindecim dierum plus vel minus durauit, eiufque impulſu complures mulieres grauidæ abortiuereunt, hunc autem morbus admodum contagioſus eſt inſecutus, qui cum tumore in inguinibus incipiebat, quem immediate ardor extremus cum dolore atque grauedine capitis inſequebatur, ita vt memoria ipſis ſit ablata, & communiter infectionem illam patientes intra triduum vt plurimum vitam cum morte commutaſſe ſunt obſeruati, imo vero ex perſonis centum vix decem ſunt numerati, qui mortis flagellum euaſerunt, ita vt per vniuerſam ciuitatem nihil præter quam lachrymæ, gemitus, funera, medici, & viſitatio ægrotorum fuerit in vſu. Denique in fine graſſari incepit peſtis, & tanta atrocitate & ſeueritate inuadere, vt vndique viri, infantes, mulieresque omnis ætatis, qui infectionem paſſi ſunt ſubito etiam in plateis mortui ceciderint, ita vt conſanguineus conſanguineo, aut amicus amico præſidium præbere non ſit auſus, & itidem liberi parentes, parentesque ſuos liberos recuſare & euitare ſunt coacti; medici ipſi attoniti fugam ceperunt, & pompa funebris iam erat incognita, ſed ſine ceremoniis nobiliores ad foſſam more vili ſunt attracti. Hæc quidem contagio à primordio verni temporis vſque ad primum menſis Maii incrementum ſuum habuit, atque tum poſtea (non niſi paucis ſuperuiuentibus) decreſcere incepit.

Quid? Anne hoc vento brutali, & inani in terra incluſo, ſeu potius præſentiæ Domini, per angelum impios & ſuperbos affligentis (vti in tempore regis Dauidis quando contra mandatum DEI populum numerare eſt aggreſſus) eſt attribuendum? O vana philoſophorum Græcanicorum inuentio, qui admirabilium terræmotus effectuum, cum ſint oculares qualiſ testes (nam Diodor. Siculus & Herodotus mirabilia de terræmotibus in Græca accidentibus narrauerunt) tamen ſtupendos ipſorum effectus cauſæ tam friuolæ aſſignare geſtiunt, qualis eſt merus aer ſeu ventus incluſus in cauitatibus terræ.

Sed in hoc loco varias philoſophorum de terræmotu intentiones recitare aggrediemur, quo facilius diſcernatis quam ſint in ſuis opinionibus in conſtantes atque inſtabiles, quod quidem inde oriri ſolet, quoniam verum meteororum fundamentum ſecretosque verbi diuini actus ignorauerunt.

Poſidonius dixit cauſam huius eſſe ventum iucluſum in concauitatibus terræ, in quo cum Peripateticis conuenire videtur dicentibus, ipſum eſſe factum à vaporibus in viſceribus terræ obſtructis, qui locum exitus minime inuenientes, atque per radios ſolares tempore diurno facti atque rarefacti, latera terræ exitum quaerentia concutiunt, & ita erumpentes terræ motum faciunt. Aſſyrii atque præcæteris Babylonici eum virtute cuiuſdam planetæ ſeu eiufdem radiorum aſpectu quodam, cum illis ſolis in centro terræ concurrentium produci volunt. Anaxagoras eum proceſſu temporis ab aere in terra retento procreari putat. Atque ita videtis quod multi multa, at nihil certi de huius ortu aut cauſa efficiente indicauerint, cum reuera Deus ſit huius rei cauſa immediata, è corpore angelico aſpectu iracundiæ ſuæ terram intuente, qui hæc omnia efficit atque agit in fortitudine brachii ſui, vti in præcedentibus eſt declaratum, ei ergo ſoli attribuatur tanti miraculi laus atque gloria in æternum.

Quod etiam Deus ſit ſola fontium atque fluminum cauſa efficiens, nos docet ſacer contextus, vbi ſic legitur: *Qui emittit fontes per valles, vt inter montes ambulent, vt potum præbeant omnibus animantibus agri, Pſal. 107. Et alibi, Cum roborauit Iehoua fontes abyſſi, ſapientia erat cum eo. &c. Prou. 8. 28.* Quibus liquet, quod Deus ſeu virtus diuina ſit cauſa fontes & flumina efficiens, & non vapores terræ, vti Peripatetici falſo exiſtimauerunt.

Denique Deum eſſe vnicum tempeſtatis marinæ effectorem, vtpote qui ex turbine ad iſtiusmodi effectum agit, non aliter quam dictus eſt Iobum ex turbine alloquutus eſſe, quod etiam ex hiſce Pſalmiſtæ regii dictis confirmari videtur, *Descendentes (inquit) ad mare nauibus, ipſi vident opera Iehouæ, & mirabilia eius in profundo, dicitque, & flare facit ſpiritum turbine, & exaltat fluctus eius, aſcendunt vſque ad cœlum, descendunt vſque ad voragineſ &c. Pſal. 107. 33.* Porro & alibi legimus, *Oceani naues perfringes Euro, &c. Pſal. 65.*

Hiſ ergo more recto intellectis, neceſſe in primis habemus, vt ad Deum in omnibus tribulationibus iſtis confugiamus, eum oremus, eius potentiam cum tremore agnoſcamus, vt hoc modo li-